

tatem terreni Regis astringit. alios militia
spiritualis ad caelestia castra, per gratuitam
gratiam caelestis Imperatoris, adducit. Mili-
tes saeculi passionibus & desideriis variis te-
nentur obnoxii, milites DEI carnem suam
crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis.
Illi dapibus nutriuntur, isti virtutibus. illi ra-
pere aliena conantur, isti etiam propria vel
perdere, vel misericorditer erogare. illi quaerunt
unde falsis laudibus extollantur, isti
quaerunt unde sempiternis praemiis hono-
rentur. illis tribuit imaginem laetitiae vani-
tas, istis vera confert gaudia veritas. illi suis
utilitatibus consulunt, isti communibus: il-
li perituram patriam, perituri salvare festi-
nant, isti nunquam perituram ne in aeternum
pereant, possidere desiderant. illis vivere la-
bor est & mori supplicium, istis vivere Chri-
stus est, & mori lucrum, illi praeriantur con-
tra visibiles, isti contra invisibiles inimicos.
illos avaritia crudeles, istos misericordia be-
nignos. illos invidia contentiosos, istos facit
mansuetudo pacificos. illi per superbiam pro
suis honoribus litigant, isti per humilitatem
alter alterum existimant superiorem sibi. Per
illos Babylonia regitur, per istos & in istis a
Domino Hierusalem caelestis administratur.
Et plerumque contigit ut corporibus aduna-
ti, quamvis mentibus separati, simul milites
DEI & milites saeculi prosperitates & adver-
sitates sentiant temporales. Sed milites
saeculi